

MOX apud dissentientes, saltem errorem fundamentalem & HAERESIN NON ESSE; rursus: doctrinam in ecclesia nostra propositam veritatem fictam, & non simplicem nominat, quae potius in argutiis consistat. p. 392. dicit inanes rixas & macilentam rerum coelestium Theoriam, neglecta praxi tanquam medulla Christianismi, lites non necessarias & tanta damna secum ferentes nominat p. 390. & quae alia similia sunt, de gravissima hac doctrina, & mota circa illam controversia, hinc inde sparsa, vel, si rem nomine suo exprimamus, effusa.

§. II. Multum vero interest discriminis, an haec doctrina & controversia agitata nullum, an parvum, an magnum vel praecipuum momentum habeat, & an ad fundamentum fidei, an minus, pertineat? In nostra sane ecclesia constanter creditum, & intrepide, neque sine Numinis benedictione, defensum est, doctrinam de communicatione idiomatum habere eximium & exquisitissimum pondus, imo constituere Articulum fundamentalem primum, eumque proxime & immediate fundamentum fidei antecedentem & praerequisitum; non tamen est negatum, intercedere simul quaestiones, quae ad fundamentales secundarios referri debeant, ac tandem etiam dari quaedam, quae ad fundamentum fidei non pertineant. Vbi enim ipsum centrum fidei, quod in satisfactione filii Dei una cum benevolentia & oblatione gratiae univ ersali merito reponitur, tutum & inviolatum consistere debebit, praerequiritur etiam inviolabilis doctrina de personali unione: Haec enim nisi debite concipiatur, alterari ipsum Articulum redemptionis, ipsique multum decedere ac detrahi, pie & sobrie scrutanti probe animadvertetur. Ad unionem personalem autem recte & plene, juxta latitudinem, formam & Effectum describendam, inevitabilis est doctrina de naturarum, idiomatum, ἀρχημάτων, operationum & apotelesmatum tum unione, tum communicatione exinde redundante: Ita ut, etsi haec omnia ad unionem personalem consequenter se habe-